

Exiguus etiam panis est, qui in Ecclesiis nostris adhibetur, sed juxta canonem Concilii Niceni, *non ad satietatem, sed sanctificationem symbola sunt sumenda.*

2. Quod qualitatem attinet, adhibetur panis azymus in Ecclesiis nostris *ex Christianâ libertate*, non verò ex aliquâ *necessitate*, quemadmodum Græcorum quidam ex necessitate aliquâ adhibuerunt panem azymum.

XIV. Sive in templô fuerit fractus.

1. Distinguendum inter rationem *cœnæ primæ & hodiernæ*. Ibi fractio est adhibita, & quidem ut *actio ministerialis*, non *formalis Sacramenti*. Requisita ibi fuit fractio ad *necessitatem distributionis*, non ad *veritatem Sacramenti*. Aliàs enim Christus panem benedictum non potuisset distribuere.
2. Erat ritus frangendi panem *particularis*, non *universalis*. Quoniam Judæi non spissis panibus utebantur, sed latis minusque crassis, hinc panem frangere sunt soliti, non scindere. Deficiente itaque hodiè causa, sine etiam effectus necessarius dici nequit.
3. Fractio vel sumitur *generaliter & notat ipsam distributionem*, & hoc hòc modò est summè necessariâ (siquidem sic fractio & distributio idem notat. Exemplum hujus habemus, Esa. LVII, 7. ubi mandatur, ut pauperibus frangamus panem, ubi fractio idem est quod distributio,) vel sumitur *specialiter, & notat modum distributionis*, qui non simpliciter est necessarius observatu.

XV. Consecratô.

1. *Consecratio* hæc consistit in *destinatione panis ad usum sacramentalem*, & fit per preces & verba institutionis ad imitationem Christi.
2. Non est actio *magica*, quasi magicè mutaretur panis in aliud quid, sicuti de Ægyptiis legitur, quod baculos in serpentes mutârint, sed *divina*, quæ à ministro nomine DEi perficitur.

XVI. Verum & substantiale corpus.

His materia cœlestis indicatur, ubi distinguendum inter *materiam cœlestem* in Sacramentis *V. T.* olim exhibitam, & quæ hodiè exhibitur in *Sacramentis N. T.* Ibi aderat tantùm figura & umbra. In agnô paschali idem quidem fuit finis Sacramenti, non eadem substantia, quia Christus tùm temporis in figura exhibebatur. In *N. T.* verò verum corpus exhibetur. XVII.

XVII.